COMPENDIVM

VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. FRANCISCI BORGIÆ

Societatis IESV.

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.



ROMÆ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.

5

COMPENDIUM

VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM,

Necnon Actorum in causa Beatificatio-
nis, & Canonizationis

B. FRANCISCI BORGIÆ

Societatis IESU.


Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.



ROMÆ,

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.



ECVNDA Sanctorum Virorum Hispania præ-ceteris, quos nouissimè dedit orbi viros sanctitate conspicuos, ex Inclyta Borgia gente, Anno Christianæ salutis decimo suprà millesimum & quingentesimum, Beatum Franciscum dedit, Quartum Ducem Gandiensem, & posteà Tertium Præpositum Generalem Societatis Iesu, duorum Summorum Pontificum Calixti Tertij, & Alexandri Sexti pronepotem, duorum S.R.E. Cardinalium Roderici, & Henrici fratrem germanum, Ferdinandi Aragoniæ Regis Catholici nepotem, Carolo Quinto Cæsari, & Philippo Secundo Hispaniarum Regi arcta sanguinis propinquitate coniunctum. Puerilibus annis innocentèr, pijssimeque in paterna Ioannis Tertij Ducis Gandiensis domo traductis, ad aulam primò Ferdinandi Aragoniæ Regis, & Catharinæ Aragoniæ posteà Reginæ Lusitaniæ, mox ad illam Caroli Cæsaris transmissus à parentibus fuit; & vtrobiq. cum omnium admiratione Christianæ legis præcepta tanta religione seruauit, vt omnibus exemplo esset, & in Aulæ licentia spectaretur ab omnibus, vt prodigium virtutis. Suadente, & cogente Carolo Cæsare, vxorem duxit ex Imperatricis Aula lectissimam fœminam, sanguine simul, & animo præcellentem, Eleonoram de Castro Lusitanen.

Hæc autem aulæ blandientis lenocinia, vxoris amantissimæ commoda, & domestica è suscepta prole negotia efficere nunquàm potuerunt, vt eius animus à suscepta Dei via nè leuitèr quidem recederet, & memor æternitatis, à sanctis operibus, quibus totus incumbebat, vacaret. Hinc sacræ meditationi diù noctuquè plures horas impendere, vocales preces Dei, Sanctorumquè venerationi litare, pios libros peruoluere, larga manu suas opes pauperibus erogare, Nosocomia inuisere, suaque manu cibos ægrotis ministrare, familiam suam de diuinis rebus instruere, sacram synaxim in singulos octo dies, post confessionem cum multis lacrymis habitam, suscipere, corpori cruciando studere, cubare humi, macerare iteratis ieiunijs carnem, catenulis aculeatis sua membra præcingere, cilicino tegumento se induere, & frequentissimis flagris vsque ad sanguinem se cædere.

Quin ea cogitatio eius animo assiduè versabatur, quod scilicèt, si vnquàm sibi coniux obiret, statim Religiosum aliquem Ordinem ingrederetur, vt asperiori viuendi forma totus sibi, Deoquè vacaret. Quæ cogitatio tunc temporis multò validius eius mentem occupauit, & voto etiam obfirmata ab ipso fuit, nam Imperatricis Isabellæ cadauer inspectans, quod Granatam in Catholicorum Regum sepulchrum deferendum illi mandauit, præ summa beneuolentia Ca-

ius Cæsar, tanta illud deformitate sordescere vidit, vt horrore simul, & rubore perfusus, incertus animo esset, an illa ipsa Imperatrix Isabella esset, quæ non ità pridem omnium Principum fœminarum speciosissima Hispaniarū oculos trahebat ad se. In eius cadaueris turpitudine, tanquàm in pulcherrimo speculo repræsentans illi Deus sæcularium rerum vanitatem, & fallaciam, eius animum validius ad se rapuit, Deique vocibus Franciscus promptè respondens, soli Deo firmissimè adhærere statuit, à quo solida, & nunquàm de futura fœlicitas haberi solùm potest.

Nec diu abfuit, quòd acerbissimis confecta doloribus Eleonora coniux, pijssimè moriens, locum Francisco dederit opere exequendi conceptum mente propositum. Verùm quia domesticis negotijs, & potissimùm paruula multorum filiorum, ętate optatissimum sibi opus explere non licebat, è consilio sancti Ignatij Loyolæ Societatis Iesu Fundatoris, quem tunc Romæ degentem, & sanctitatis famà vbique clarissimum, suæ spiritualis vitæ Magistrum & Ducem elegerat ex Hispania, & per frequentes epistolas alloquentem audiebat, à Summo Pontifice Paulo Tertio impetrauit, vt adhùc in sæculari vita constitutus, Religiosis illis votis, se posset obstringere, quibus professi viri in Societate Iesu Deo se consecrant. Hanc etenim præ alijs Religionem omnium recentissimam, & minimam nobilissimis alijs, & sanctissimis præferendam sibi censuit humillimus vir, eo præsertim titulo, vt postea Carolo Quinto Cæsari de hoc ipsum interroganti affirmauit, quod Religiosis huius Societatis professis, è singulari voto, quo fidem suam obligant Deo, nullus in posterum patere potest ad aliquam dignitatem vel sęcularem, vel Ecclesiasticam accessus, vt in humili statu firmiùs adhęrere illi valeant, qui cùm filius Dei esset, humiliauit semetipsum vsque ad mortem.

Diuinæ igitur seruituti totus animo mancipatus, & Christi Cruci cōfixus, nihil aliud ardentius intendebat, quàm Crucis mortificationem in corpore suo portare, ieiunijs in singulos anni dies productis, nocturnis vigilijs, cilicinis vestibus, verberationibus, ad octingentos vsque ictus effusis, corpus suum castigans, vt ipsum in Dei seruitutem redigeret. Plures diu, noctuque horas in sacra meditatione impendebat, quotidie è sancti Ignatij consilio sacro Eucharistiæ pabulo se recreabat, pios & asceticos libros semper tractabat, & quod reliquum illi temporis erat, vel in rebus domesticis componendis, vel in Philosophiæ, & Theologiæ quæstionibus addiscendis, transigebat. His autem pijssimis exercitationibus non suam tantummodò conscientiam, sed suos etiam filios, suamque totam familiam tàm exacta industria excolebat, vt Religiosa domus Frā-

cisci Gandiæ Ducis domus omnibus videretur, & ad hoc ipsum spectandum è tota ferè Hispania plures illuc accederent, è quibus fuit Carthagenæ Episcopus Stephanus Almeida, qui rei admiratione correptus, Ducis Gandiensis sanctitatem omnibus prædicabat, illud de ipso, eiusque domo pronuncians & ad exteros sororibus, Vidi Franciscum Ducem sanctum, Ducem miraculum, & religiosam domum in Francisci Ducis domo contineri.

In tàm Religiosa viuendi disciplina quadriennio, iuxtà facultatem Pontificiam, exacto, Romam redire statuit in Anno Iubilæi quinquagesimo eius sæculi, vt Apostolorum Limina reuereretur, & propiùs Sanctum Ignatium alloqui posset, seque illi instruendum dare, vt inceptum, sibique optatissimum opus Religiosæ vitæ absolueret; Quamuis autem humilitatis studiosissimus in itinere faciendo latere vbique omnibus vellet, cunctisque ignotam viam agere conaretur, summis tamen vbiquè fuit exceptus honoribus, & potissimùm, vix ingressus Italiam, tùm Ferrariæ ab Alphonso Duce suo consanguineo, & Florentiæ è Mediceo Duce Cosimo, & Romæ, vbi extrà Portam Flaminiam plurimi è S. R. E. Cardinalibus, cum Cæsareo Legato, & Romano Dynasta, Fabritio Columna, obuiùm eum excepere, & cùm perhonorifico, splendidoque comitatu introduxere in Vrbem, totam è Ducis sanctitatis fama commotam. Magnificas suas ędes tanto hospiti humanissimè obtulere non solùm ijdem Purpurati Principes, alijque primarij Principum exterorum Legati, Romanique Proceres, sed ipsemet Iulius Tertius Pontifex Maximus ad Vaticani ædes Palatij, vbi penes se frui ipsis commodiùs posset, cum paterna beneuolentia inuitauit; Verùm religiosam & pauperem Domus professæ habitationem, magnificis, & splendidis oblatis ædibus, præposuit pijssimus vir, vt ibi optatissimo sancti Ignatij consortio, suoquè religiosè viuendi modo vacare liberius posset. Vix autem Domus Professę ianuam accessit, vt subitò dimisso Procerum comitatu, ad sanctum Ignatium ibi eum præstolantem ad eius pedes aduolutus accesserit, eiusquè manum semel atquè iterùm multis cum lacrymis osculatus, benedictione ab eo impetrata, in ædes illi destinatas secessit; Mox Summum Pontificem adijt, Sanctissimos eius pedes osculaturus, iterumque ab humanissimo Pontifice Vaticanis suis ædibus in habitationem ei oblatis, post redditas obsequentissimè gratias, Domum professam redijt, & sanctissimas Vrbis Ecclesias, venerandaque tot Sanctorum, & Martyrum Reliquijs Monumenta pijssimè cępit inuisere, suæquè etiam pietatis ibi relictis exemplis illustrare. Romanum indè Collegium, postulante Sancto Ignatio, ingenti data pecunia, sed Fundatoris nomine recusato, sua ipse manu fundauit; mox ad

am-

amplificandas Domus Professæ angustias suam etiam operam conferens, terram effodere, aquasque ex imo fluentes trahere sua manu non dubitauit; vt vna cum Sancto Ignatio, & Esquilacensi Episcopo primum ibi lapidem iaceret. Innumeræ suæ humilitatis, & pietatis exempla hic ipse coram omnibus dedit, vel in mensa conuiuis Patribus seruiens, vel in culina sordidas patinas abluens, vel in domo, eam vna cum Ioanne suo filio, quem secum duxerat scopis vndique conuerrens. Post diurissimos cum Sancto Ignatio de suæ conscientiæ statu sermones habitos, Romæ diutiùs immorari noluit, eò quod constanti iam satis fama compertum ipsi esset, quod Summus Pontifex Iulius, tùm ad singularia Francisci merita remuneranda, tùm ad postulationes Caroli Cæsaris adimplendas, Vaticana ipsum purpura decorare decreuerit. Celeri igitur, & improuisa fuga à tanti honoris fastigio se subducens, Hispaniæ suæ se reddidit, vbi tandem facultate à Cæsare habita, patrio Principatui, titulisque omnibus se abdicauit, & cum habitu sæculari veterem etiam hominem exuens, ad optatos sanctæ paupertatis amplexus festinauit, & inexplicabili animi voluptate delibutus, ante Christi è Cruce pendentis effigiem, totum se in eius militiam & familiam dedicauit; Nec diu abfuit, quod in Cantabriam proficiscens, ibique asperrimo viuendi genere se exercens, inter assidua ieiunia, frequentissimas preces, aliaque huiusmodi pietatis, & pœnitentiæ officia, vt diuino cultui se magis obstringeret, Sacerdotio initiari decreuit.

Ad tantum mysterium celebrandum, postquàm diuturnè precum, lacrymarum, ieiuniorum, & verberationum exercitatione se comparasset, in priuato Sacrario, quo Loyolæ homini in eo Oppido vtuntur, ad venerationem Sancti Patris Ignatij, primum sacrum agere voluit Kalendis Augusti; secundum inde postea die, non in æde sacra, sed in campestri loco, propè Vergaram conficere coactus fuit, tanta etenim è fama sanctissimi Viri populorum è finitimis locis affluentium multitudo illuc conuenerat; vt cùm eam nullum capere posset templum, ad eorum pietatem explendam, necesse fuerit in medio campo gentium auiditati consulere & vltrà meridianam horam sacrificium producere, ad dandum vtique locum, ex eius manibus sacrum Christi corpus accipiendi. Post hęc, Ognatum Oppidum reuersus, totum se maiori sanctitati excolendæ commisit. Octo saltem horas in orandi studio, transigere, pauimenta domus euerrere, ollas, & hebetes sordentes calida aqua diluere, coquo inseruire, eiusque ad nutum aquam, & ligna ad culinæ vsum humeris ferre, hortum, & vineam expurgare, ostiatim emendicare cibaria, aperto capite, nudoque pede, stipum ab alijs colligere,

vicos,

vicos, & rura cum tintinnabulo circuere, vt pueros cògeret ad fidei Christianæ initijs eos instruendos. humi, vel in tabulato cubare, singulis horis in vitam suam inquirere, frequentissima erant suæ exercitamenta virtutis. Nec facile dictu est quantam sibi venerationem è tota Hispania comparauerit,& quàm ingens fama de eius sanctitate apud omnes Principum Aulas, tum propinquas,cùm exteras excurreret. Qua de causa vel omnes ipsum adire ad suæ vitæ rationem communicandam, vel ab omnibus accersiri ad salutare aliquod consilium ab eo requirendum, & ad eius preces sua pro salute reposcendas. Quià tantæ virtutis exemplo quamplurimi excitati, sęcularibus se commodis spoliantes, eius vestigijs adhærere decreuerunt, & vel Societati Iesu, vel aliis Religiosis familijs se deuouerunt. Ex his fuit Antonius de Corduba Feriæ Comitis filius, Beati Francisci Consobrinus, & Rector Academiæ Salmanticensis; Hunc iam Hispaniarum Princeps Philippus, & Carolus, Cæsar, vt in Cardinalium numerò adscriberetur, à Iulio Tertio Summo Pontifice postulauerat, & impetrauerat, iamquè proximis Pentecostes solemnibus erat ad sacram Purpuram promouendus, sed instantis purpuræ decus religiosæ Societatis humilitati ille postposuit, & gloriam premens humanam, vt Franciscum imitaretur, pauperis vitæ viam promptissimè amplexus est. Id ipsum pariter executioni mandasset Ludouicus Lusitaniæ Princeps, Ioannis Regis frater germanus, nisi à Sancto Ignatio, quem ardentissimis epistolis de ingressu in suam Iesu Societatem postulauerat, cùm ob virium imbecillitatem, tùm ob alias prudentissimas rationes vetitum illi fuisset, expetitum religiosæ vitæ implere propositum.

Tantus ergò sanctitatis splendor, qui magis ac magis in singulos dies Francisci Borgiæ nomen, non in Hispania tantùm, sed apud omnes populos illustrabat, ex Ognatensi recessu, vbi sibi tantum ipse viuebat, ad omnium aspectum breui vocatus fuit, eoque alijs erat illustrior, qui sibi vilior videbatur; A S. enim Ignatio Commissarius primò Hispaniæ, & Indiarum mox etiam Assistens Hispaniæ, & Lusitaniæ renunciatus fuit: quo in munere maximum suæ prudentiæ, & charitatis ad subditorum solatium specimen dedit, suoque regimini commissam in illis Prouincijs Societatem mirifice propagauit; sui namque efficaciâ sermonis, exempliquè præstantia quamplurimos è Proceribus, & Episcopis Hispanis, sed potissimùm Reges, & Principes Lusitanos, ad Academias, Collegia, aliasque domos fundandas erexit, totus enim erat, vt vel priuatis, vel publicis colloquijs præsertim cum Principibus viris omnes excitaret ad vitia, prauosque mores excidendos, ad iuuentutem virtutibus imbuendam, ad Catholicam fidem disseminandam, vt Principum

aulas

aulas pias faceret, & omnibus viam sanctitatis, precibus, consilijs, concionibus, exemplis aperiret.

Hinc maxima illa existimatio emanauit, qua Principes, viri omnes, Præsules, Reginæ, Reges, Summiq; Pontifices eius nomen prosequebantur, eius præsentia gaudebant, colloquia, & consilia excipiebant, eius opera in potissimis Regnorum, Mundiquè negotijs vtebantur, eiusquè precibus se, suos, suaque omnia enixè commendabant, eo prorsùs more, quo de Sancto Antonio Diuus Athanasius scribit. Certè Carolus Quintus Cæsar, cum Imperio Germanico, Regnisque omnibus sibi subiectis abdicatis, ad solitariam vitam in Cœnobio Tustopolitano degendam concessit, è Francisci exemplo, ad tàm arduum facinus exequendum excitatum se fuisse affirmabat, eumque bis, & tertiò accersitum, sui cordis arcana ipsi aperiens, de orationis Methodo, de vsu Sacramentorum, de virtutum studio, alijsque spiritualibus rebus audire ipsum voluit, tanquàm suæ conscientiæ moderatorem, & Ducem, & post alia sui amoris argumenta, modica donatum pecunia, dimisit, illud pronuncians pauca quidem Francisce pecunia hæc est, sed ampliorem non habet tibi dandam, qui paucam sibi habet Cæsar. Mox ad grauissima in Aula Lusitanica negotia illum expediuit, suæquè sorori Catharinæ Lusitaniæ Reginæ ardentissimè eum commendauit, demùm moriens sui testamenti executorem ipsum nominauit, suarumque laudum post mortem ipsum habuit præconem inter exequias illi Vallisoleti persolutas; Sed præsertim viri ea tempestate sanctissimi eius virtutem, & exempla maximi faciebant, cuiusmodi fuere sanctus Pater Ignatius, sanctus Carolus Borromæus, sanctus Franciscus Salesius, Magister Ioannes Auila, ex ordine sancti Francisci Ioannes Tejeda, è sancti Dominici Ioannes Micho, & præ alijs sancta Theresia, quæ vitam suam scribens de se ipsa in capite vigesimo quarto fidem facit, diuini plurimum luminis ab eius sermone hausisse, eiusquè consilio in via Dei prosequenda maximè recreatam, cum enim de orationis modo, quo vtebatur, incerta sibi admodum esset, è colloquio cum Francisco hac de re habito, tantum recepit quietis, & solatij, vt ad maiora alia properare securiùs posset.

Quo autem alijs illustrior, omnique honore dignissimus videbatur, eo sibi vilior, & neglectior erat, & sub humilitatis magisterio tantum profecerat, vt cum ab alijs Sanctus pleno ore salutaretur, se omniũ minimum, peccatorem, belluam, Dæmonem, & peiorem Dæmone appellaret, derisiones, scommata, ignominias, & aliorum contemptum eo ardore animi appetebat, ea cum lætitia excipiebat, quã alij honores, dignitates, titulos affectant, & possident. Ex hoc piæ humi-

humilitatis amore factum est, vt obscuram, ignotamque omnibus vitam agere exoptans, si quando, quod frequentissimum erat, vel à Principibus viris, vel à Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ, vel à Summis Pontificibus honore aliquo afficeretur, non tantum totus animo mæstissimus angeretur, sed quantum virtuti suæ liceret, constantissimè honores omnes repelleret; Clarissimè hoc omnibus in Romana Aula innotuit, cum Vaticanæ Purpuræ decus, tàm ardentèr alijs expetitum, septies illi, pro diuersitate temporum, à Summis Pontificibus Paulo, & Iulio Tertio, Pio, & Paulo Quarto, Pio Quinto, vel spontè oblatum, vel ad preces Caroli Cæsaris, & Philippi Hispaniarum Regis, modestè simùl, & constantèr reiecit. Quin, & cum Paulus Tertius, qui ab Alexandro Sexto è Gente Borgia, & Beati Francisci patruo suam, olim purpuram accepit, eius modestiam, & humilitatem ad eam recipiendam flectere non valuisset, & in eius filium Carolum deriuare eam decreuisset, eò vsquè repugnantem Franciscum inuenit, vt à proposito suo discedere cogeretur, nè tàm Beati viri quietem turbaret.

Quos autem honores extra societatem declinare eius humilitas potuit intrà societatem pati coacta fuit ex imperio Sancti Ignatij, suorumque moderatorum, quorum vocibus promptissimè indulgebat. Nàm triennio post initum sacerdotium, Hispaniæ, & posteà Indiarum Commissarius creatus à sancto Ignatio fuit, mox ab eodem Hispaniæ Lusitaniæ, & Indiarum Assistens: bis Societatis Vicarius fuit, demùm anno suæ ætatis quinquagesimo quinto, & à condita societate vigesimo sexto post mortem P. Lainij in Generalibus Comitijs Præpositus Generalis Societatis Iesu fuit renunciatus, ciusquè electionem, vt viri sanctitate, prudentia, capacitate, & sanguine spectatissimi, vna cum tota aula Romana commendatam summoperè habuit Summus Pontifex Pius Quartus, qui ad multorum preces, at potissimùm Cardinalis Ferrariensis, ex Hispania ipsum vocatum in Concilium Tridentinum pro Pontificio Theologo mittendum destinauerat. Quamuis autem impositum supremi regiminis onus deponere, & abdicare non semel ipse conatus fuerit, perferre tamèn illud vsque ad obitum coactus est ex ingenti bono, quod ex eius regimine in totam societatem affluebat; adeò vt post sanctum Ignatium nulli alteri magis Societas Iesu sui amplificationem, & splendorem, quàm Beato Francisco debeat, sub cuius auspicio, & consilio, præter innumera in Germania, Italia, Gallia, Lusitania, Hispania, vel condita, vel aucta Collegia, Poloniam primò ingressa Societas fuit, & Insulas Oceani Maderam, Floridam, & quas vocant Tertias, tum ad Hispanicas Indias propagata, Mexicanam, & Peruuiam prouinciam, cæteris iàm firmatis, adiecit.

Tantæ humilitati par etiàm fuit summa paupertas, vt de Beato Francisco Gandiensi vsurpari etiam illud possit, quod de Beato Francisco Assisiate, quem summa ipse religione colebat, sibique imitandum abiecerat, canit Ecclesia *Franciscus pauper, & humilis*, in vestitu, calceatu, victu, hospitio pauperrimus omnibus apparebat, & nunquam adduci potuit, vt nouam aliquam vestem, vel inter itinerum incommoda, vel hyemis rigores sibi induendam acciperet; suaquè sibi manu vestes laceras, pauperum more, gaudebat reficere. Ex quo sæcularia bona abdicauit, Deoquè se dedit; pecuniam adeò sibi habuit infensam, vt ne quidem manu attingere, & delibare ipsam voluerit, vt enim Christum lucri faceret, pretiosa omnia arbitrabatur vt stercora. Magnificas sibi paratas à viris Principibus ædes, vel sagacissimis artibus euitabat, Nosocomia, & pauperum domos illis anteponens, vel si cogeretur in illis immorari, percommoda ibi strata cubilia abhorrens, humi, vel amoris culcitris, & stragulis cubabat in tabulis, lautaquè conuiuia, pane, & aqua contentus, eludebat. Cum Sanctissimam Lauretanam Domum adhuc Præpositus Generalis, & febri laborans, inuisurus à Cardinali Pachecò, lectica vti cogeretur, commodam illam, & splendidam, quam memoratus Cardinalis ipsi per vim propè obtruserat, intrepidè, fortitèrque reijciens, neglectam aliam, & conductam è meritorijs excipere placuit, vt in ea suam paupertatem agnosceret.

Adhùc tàm excelsæ humilitatis, & paupertatis gradum ipse conscenderat ex orandi studio, quo semper Deo coniunctus animo adhærebat, illud adimplens Apostoli *oportet semper orare, & nunquàm deficere*; Quapropter orationem suam appellabat centrum, ad quod semper eius animus tenderet; & in quo dulciter quiesceret, omnia in ea reponens, atquè reperiens, quibus oblectaretur, contemplatione ad mediam noctem potissimum fruebatur, & quinas, senasque horas, frequentèr octo, & interdum decem absque vlla interpellatione, breuissimi temporis instar, in eius suauitate traducens, de socio Marco conquerebatur, quod eum àtam cælesti quiete nimis celeritèr excitaret, quin etiã è viginti quatuor diei horis, vt è suismet scriptis habetur, nulla præteribat, in qua mentem ad Deum conuertens totum se ipsi offerret, vel ad Martyrium, vel ad alios, & maiores Principatus obdicandos, vel ad ipsam vitam pro eius amore impendendam. Præter singulare pietatis studium, quo ferebatur ergà Sanctissimam Trinitatem, Christi Domini patientis, & morientis mysteria, Angelos tutelares, Sanctos Franciscum Assisiatem, & Iacobum Apostolum, ad cuius imitationem centies in singulos dies Deũ veneraturus genua flectebat, & Animas Purgatorij, quarum aliquas suo Confessario affirmauit sibi visas, dum sua-

rum

rum precum auxilio purgantibus pœnis exolutæ peruolarent ad Cælum, inexplicabile ferè dictu est, quanto deuotionis ardore præstaret in adoranda Sanctissima Eucharistia, quam semper habere videbatur præ oculis, & ore ipso gustare; tantus autem hic erat ardor in eius veneratione, & desiderio, vt non semel vultu ipso totus ignescerer, & flammas pijssimas, quas corde nutriebat, facie eructaret. Qua in re illud quoque eximium fuit, & continuum ferè, in eo miraculum, vt dicebat Clemens Nonus Pont. Max. vt diuino quodam instinctu, vbi quomodocumque templum ingrediebatur, statim sentiret, quo loco Sacra Eucharistia seruaretur, nec vnquam in hoc fallebatur, licèt nullum accensæ lampadis signum ad eius aram, iuxtà ritum Catholicum, adesset; Ex quo Societatis vota adhuc Dux Gandiæ emisit, nullum sine sacramentali communione diem, nec valens, nec æger traduxit; & ex quo Sacerdos fuit inauguratus, nunquam sacrificare destitit, quamuis inter peregrinandum, vel sub ardentissimo sole, vel sub asperrimo frigore, ex viarum, & locorum necessitate, iuxtà facultatem à Pontifice habitam, obeunda illi essent sacra mysteria; qua de re commendatissimum illum habuit Hyppolitus Aldobrandinus posteà S. R. E. Cardinalis, & Summus indè Pontifex, dictus Clemens Octauus, qui in legatione ad Christianos Principes Cardinalis Alexandrini Auditor Rotæ, & B. Francisci socius hoc ipsum oculatus Testis inspexit, & maximè admiratus est; per Gallias enim iter agens, vbi tunc temporis Hæreticorũ ferocia grassabatur, nullum reperiens templum, vbi sacrum ageret, sub torrido sæpius Caniculæ Sole, in campestri loco celebrabat, ne diem vllum absque pretiosissimo sacrificij obsequio, licèt fatigatus, & viribus exhaustus, transigeret. Sæpiùs ille quotidiè Sacram Eucharistiam inuisebat, nec semel accidit, quod, dum in genua demissus, & immotus in eius veneratione versaretur, prouectâ iam die, abstrahendus ab eo loco esset, & rapiendus ad alia, quæ illum respiciebant negotia, aliorum violentia, & moderatorum imperio indigeret. Vt autem ad illã recipiendam se dignum aliquatenus præstaret, bis quotidiè confitebatur, certasque sibi leges conscripserat, quibus exactissimè persolutis, inter lacrymas, & suspiria ad illam se se comparabat.

Deiparam etiam Virginem eximio prosequebatur affectu, eiusque precariam coronam semper ore voluebat, & manu tractabat; Sanctissimæ Lauretanæ Domus studiosissimus, plurimis ab ea se beneficijs obstrictum affirmabat, & illam inuisurus, cum adhuc esset Præpositus Generalis, & febri laboraret, pijssimo incitatus ardore, viæ se dedit. Qua in re illud mirabile contigit; quòd quò magis ad Sanctam Domum appropinquaret, eò magis decresceret febris, & cum primo

mo ad eius aspectum propius accessit, tunc penitùs se cognouerit. ianum. Ad augendum Deiparæ cultum vbique terrarum, primus omnium ex hominum memoria à Summo Pontifice Pio Quinto impetrauit, vt ex Imagine, quæ à Sancto Luca depicta in Æsquilino Templo summa cum veneratione Romæ colitur, & in ornatissimo Borghesiano sacello seruatur, plurima redderentur exempla, coloribus picta, & ære incisa, quorum aliqua ad plures Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ Principes, & præsertim ad Lusitanam Reginam Catharinam Caroli Quinti filiam, Virginis studio deditissimam, misit, aliaque permulta in vtrasque Indias suæ Societatis Patribus illuc nauigaturis dabat, vt simul cum ipsis Deiparæ Virginis studium per vniuersum spargeretur.

Ad harum cælestium deliciarum voluptatem, quas in diuino consortio inter sacrificia, & preces totus perfundebatur, dulcescebant illi quæcunque, licet acerbissima, vel à Deo illi immissa, vel sponte suscepta, eius corpus, & animum cruciarent. Solis æstus, hyemis rigores, viarum incommoda, morborum vim, dolorum rabiem, famem, sitim, suos ipse vocabat amicos, & regiam ad Cælum viam ipse affirmabat corporis dolores, ac pœnas. Cilicinas vestes aspectu ipso horrificas, catenulas ferreas vel sub serica, & aurea veste, Dux Gandiensis sibi præcingebat, & posteà Religiosus nunquàm deposuit. Verberationibus, quas in singulas noctes vsque ad octingentos ictus effusas sibi inferebat, tergum ità contuderat, & lacerauerat, vt à S. Ignatio, alijsque suę cōscientię moderatoribus refrænādus fuerit immodicus ille pœnitētiæ ardor; aliquot horas appresso humi ore ità perseuerabat in precibus, vt dentes indè plerosque amitteret, &, non sine aliquo mortis discrimine, toto ore putresceret. Mos illi erat, minutos, & aculeatos lapides simul cum arena calceis inserere, vellere sibi cum dolore crines, carnes tanta vi sibi vellicare, & perpungere, vt cum horrore liuescerent, medicas potiones, & ingratissimas palato pilulas sorbillare, & mandere, ad aceti, & fellis Domino in cruce porrecti memoriam excitandam. Eò ex inedijs, vigilijs, alijsque corporis cruciamentis deuenerat, vt qui prius corpore pinguissimo tumesceret, & non leuiter ventriosus, tantum posteà gracilis fieret, & macesceret, vt, decidua, & effluente ventris pelle, bis, terque seipsum præcingeret; & nisi maturè esset occursum, è cibi defectu fuerit periturus. Demùm semper ad se cruciandum excubabat, & vbique locorum omnia perquirebat, quibus sensus suos, & sua membra, quæ confixores Domini clauos appellabat, assidua vexatione confodere illudebat, nec vel annorum pondus, vel virium imbecillitas, aut diuturnus corporis languor, efficere vnquam potuerunt, vt hanc voluntarii

 crucia-

cruciatus famem vllatenus temperaret, adeout dicere solitus fuerit, acerbam sibi futuram vitam, si eo die moriendum sibi esset, quo nihil asperi sustulisset.

Hæc tamen, licet maxima, & quadraginta ferè annis continuata cruciamenta corporis, eius animum adeò recreabant, vt validissimus ad ea facienda accurreret, in quibus pro salute animarum pro Dei gloria, & pro suæ Societatis, sanctæque Ecclesiæ propagatione laborandum ipsi esset, adeout non sine maximo Diuinæ Prouidentiæ miraculo factum videatur, vt vir tot morbis, & doloribus obnoxius, tanta corporis imbecillitate laborans, & tanta cruciatuum mole se ipsum extenuans, tot, & tanta potuerit operari, vel suamet manu in Hispania, Lusitania, & Italia, vel suæ postea mentis consilio, non in Europa tantùm, sed vbique terrarum, ad extremos quarum tractus, siue in Oriente, siue in Occidente, suam ipse Societatem, quam admirabili cum charitate, & prudentia moderatus ipse septennio fuit, cum maximo Catholicæ Religionis commodo amplificatam vidit.

Cum autem singulari quodam deuotionis studio ea negotia capesseret, quæ ad Christianæ Religionis, & Sanctæ Romanæ Sedis obsequium spectarent, post alia plurima, & maxima, quibus ad vtriusque vtilitatem, apud Reges, & Principes, tum sermone, tum calamo operam suam impendit; extremos etiam suæ vitæ dies in vtriusque famulatum adhibere sibi gratulatus fuit, vt quandò, quod ardentissimè cupiebat, semperquè precibus, & lacrymis à Deo petebat, pro Christo mori non posset, pro obedientia erga Christi Vicarium mori daretur, illius imitandi studio, *qui factus est obediens vsque ad mortem*. Sicut igitur ex obedientia Summi Pontificis Pij Quarti ex Hispania discessit Romam vocatus, vt tanquam Pontificius Theologus ad Concilium Tridentinum mitteretur, sic etiam postea, mandante alio Summo Pontifice Pio Quinto, iussus est Roma discedere, vt Michaeli Bonello, Pontificio ex sorore nepoti, Cardinali Alexandrino in sua legatione ad Christianos Principes contra Turcam, post Cyprium Regnum occupatum, Christianum nomen perdere meditantem, suo Consilio, suaque, qua apud eosdem Principes, authoritate præstabat fideliter inseruiret. Tantum ille onus, licet in perdita valetudine, ætateque iam diuturnis morbis afflicta, demisso obsequenter capite suscepit lætissimus, eiusque alacritatem mirantibus domesticis, qui suarum ei virium imbecillitatem obiectabant, illud responsi dabat: *Deus Opt. Max. qui Vicario suo dedit, vt hoc vellet, vires mihi etiam dabit, vt faciam*. Fuit vtique cum eo Pontificis gaudio, & Cardinalis Alexandrini decore, & Ecclesiæ Catholicæ commodo, quod eius temporis necessitas exigebat. Perhonorificè fuit ipse vbique exceptus, & à Rege

Phi-

Philippo in Hispania, & à Rege Sebastiano in Lusitania, & inde etiam à Carolo Nono Galliæ Rege, quibus omnibus sanctitatis famam, quæ de ipso vagabatur, sua præsentia confirmauit, & aut saluberrimis monitis ad rectam Regnorum administrationem, contra vitia, & hæreses, & ad Fidei Catholicæ integritatem, securitatemque seruandam illos instituens, qua in re eorum Principum & Regum animos ita ad se sibi conciliauerat, vt benedictionem omnes ab eo discedente supplices poscerent, cuiusque precibus sese commendatos haberent, & Regina Galliæ Catharina Medicea precatoriam coronam, qua Franciscus cingulo apposita vtebatur ad sui deuotionem, ab eo, licet reluctante, extorqueret.

Verùm cum inter asperrima hyemis frigora, & impedita niuibus, & pluuijs vias in perfrigida Galliæ Regione cogeretur iter facere, sæuissimis doloribus vexabatur, & addita doloribus febris vicinam illi mortem minabatur, quamobrem festinatis itineribus Taurinum attingens, & hinc secundo flumine Ferrariam pergens, illic Sabaudi Ducis Philiberti, hic Alphonsi Ducis Estensis humanissimam opem expertus, æstatem Ferrariæ inter alternantis morbi vices exigere coactus fuit, illud assiduè à Deo deprecans, vt vel Romæ in Vrbe sancta ad Sancti sui Ignatij, suorumque sociorum cineres daretur mori, vel Laureti propè Sanctissimam Domum, quam eximio colebat affectu, & viuens pijssimè inuiserat, sibique affirmabat semper fuisse propitiam. Eius preces exaudit clementissimus Deus, vt cum incolumem se haberet, salutata Laureti magno cum animi sensu Deipara, Romam peruenit, cuius mœnia vix ingressus, ore lætissimo pronunciauit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, & per semihoram ante fores Templi Deiparæ, quæ vocatur de Populo, ad ingressum Portæ Flaminiæ in lectica consistere iussa, se detinens, pijssimas preces ad Virginem Deiparam coniunctis manibus fudit, gratias illi agens, quod eius patrocinio Sanctam Vrbem adhuc viuus reuiseret, & simul quod in obedientia Christi Vicarij vitam suam absolueret.

Ad eius in Vrbem aduentum statim ad eum in domo Professa inuisendum accessere, Proceres multi, Legati Cæsareus, & Hispanus, multique è Purpuratis S. R. E. Patribus, & nomine Gregorij XIII. qui Pio V. iam defuncto subrogatus in Sede Vaticana fuerat, salutem illi dicturus aduenit Cardinalis Aldobrandinus, qui nuperrimè Cardinalitia Purpura donatus à Pio Quinto Socius Beati Francisci fuerat in Legatione Cardinalis Alexandrini. Hos quidem omnes post relatas obsequentissimè gratias, quàm citissimè ipse dimisit, vetuitque, ne alij admitterentur, vt reliquum perbreuis suæ vitæ tempus, Deo tantum, & sibi inter sanctissimas preces, & lacrymas consecraret.

Biduò

Biduò post hæc inter suorum lachrymas, sua benedictione toti Societati impartita, sacraque benedictione à Pontifice Gregorio donatus, post recepta Sacra Mysteria, ad quorum preces, & verba pijssimè respondebat, Deo plenus, suumque Deum semper anhelans inter desideria cęlestis patrię, cuius ad aspectum videbatur adstare vltrà mediam noctem postremæ diei Septembris anno suę ętatis altero & sexagesimo, sanctissimè obijt. Ad eius obitus famam tota Aula Romana ad Domum Professam se contulit eum veneratura mortuum, quem adhuc viuum Sanctum appellauerat; Pręsules, Principes, Regij Legati, & plerique è Sancta Romana Ecclesia Cardinalibus ipsi ad eum mortuum inuisendum accessere, eius se sea precibus commendantes, eiusque pedes, & manus osculantes. Summus ipse Pontifex Gregorius Tertius Decimus pronunciauit, In Francisco Borgia Catholicam Ecclesiam fidelem administrationem, firmamque sui columnam perdidisse.

Multa ipsum diuinitùs prænouisse, & prædixisse compertum est. Domestico Ducis Gandiensis famulo, qui citatissimis equis aduenerat ei significaturus, Carolo Duci natum filium, primus ipse occurrit eum interrogans, quomodo se haberet natus recenter infans nomine Franciscus? Grauissimè laboranti Francisco Brioni prædixit, eo se morbo nequaquam moriturum, sed breui, vt factum est, incolumem fore. De se ipso, cùm Eboræ deplorato ferè morbo morti proximus ab omnibus haberetur, certò pronunciauit, breui sanum se faciendum, & quatuor post dies Conimbriam, vbi à Principe Lusitana Catherina expectabatur peruenturum. Sic pariter ex Hispania Galliam versus iter arripiens, Patri Ioanni Suarez significauit è morbi nequitia semimortuum se Romam accessurum, vbi tandem vitam absolueret. Societatem deserenti Nouitio certo dixit, breui ad eam reuersurum, in eaque cum magno virtutum profectu obiturum. Quæ omnia, tanquam prophetice dicta, confirmauit euentus.

Licèt autem ex his, quæ compendiario sermone hucusquè delibauimus, satis constet, eximijs, & admirandis virtutibus illustratum à Deo fuisse Beatum Franciscum, adeò, vt publico cognomento Ducum miraculum, & vir miraculosus appellaretur, deque ipso aptissimè illud pronunciari valeat, quod de Sancto Præsule Malachia Diuus Bernardus ait, magnum miraculum, *quod ipse fecit, ipse fuit*, adhuc tamen, præter ea, quæ fecit mirabilia in vita sua, & in Processibus de ipso habitis adscribuntur, alia plurima, & magna miracula suppetunt, quibus diuinæ bonitati placuit sui famuli sanctitatem, eiusque patrocinij potentiam declarare: Ex his.

Primùm. Ad extremum vitæ discrimen adducta erat Excellentissima

fœmina D. Hieronyma de Cardona, Vcedæ Ducissa, Lermæ Ducis Nurus, eò quòd fœtus in vtero materno egredi ex illo non posset, & acerrimis per viginti horas vexata doloribus, præ virium imbecillitate effundere illum non valeret, deplorata iam eius salute, ipsisque Regijs Medicis nullam superesse viuendi spem asserentibus Dux Lermæ fœminæ iam ferè animam agenti, Beati Francisci Reliquiam affert, vtque eius patrocinio se cum fide commendet, hortatur; paret hortanti Duci Ducissa, Reliquiam Sacram amplectitur, osculatur, & vterum illa tangit. Ad vteri attactum illicò fœtus emortuus, & ferè putrescens egreditur, omnique amoto dolore incolumis statim euadit. Vix tanti miraculi fama per Hispaniam se porrexit, inexplicabile dictu est, quanto cum venerationis ardore vbique Beati Francisci nomen exciperetur, nam in Excellentissima fœmina omnibus ferè Hispaniæ Magnatibus sanguine coniuncta, miraculi splendor splendidior emicauit.

Secundum. E nobilibus puellis, quas in suo Palatio ad sui famulatum numerabat Esquilacij Principis Coniux, quædam nomine Agnes Hurtado sæuissimis laterum doloribus afflictata, febrique immani correpta, magnum salutis discrimen subiuerat ex adhibitis remedijs nihil prorsus adiumenti recipiens; Miserrimum puellæ statum triduò iam laborantis commiseratus Princeps, Beati Francisci sui consanguinei Reliquia arrepta, circumstantes deprecatur, vt miraculum Beati Francisci oculati Testes aspectent. Tum illis comitantibus ad ægram accedit ipsique Beati Francisci sanctitatem commemorans, eius Reliquiam illi offert, cui se ardenti cum fide commendet. Eius nomen inuocat cum fide puella, eiusdemque Reliquia leuitèr tangitur, ad Reliquiæ tactum statim dolor cum febri euanescit, & pristinæ saluti restituitur.

Tertium. Infantulum suum lactebat Maria Martinez, sed vbera tantus morbus inuasit, vt cum eorum capitula sugeret puer, acerrimo dolore cruciaretur mater, & labia sanguine aspersa ferè semper filius referret. Eo breui morbus deuenit, vt dexteri vberis Capitulum ferè totum abscissum, & pendulum vix ab exiguæ pelliculæ parte vberi adhæreret, humanis destituta præsidijs mater ad Beatum Franciscum pijssimè accedit, eiusque imaginem vberi, lectum intrans, apponit, & nunquam indè amouendam statuit quoad vsque sanitati reddatur. Eadem nocte ad pueri fletum expergefacta lac illi ab vberibus porrigit, ne leuissimum quidem dolorem percipiens, Coniugi sciscitanti, cur iuxtà morem de doloris acerbitate non conquereretur, miraculum aperit, & benefactorem suum Beatum Franciscum declarat. Tum ille assurgens è lecto, lumenque propiùs admouens ad coniugis pectus, vbera sana, & integra

comprae-

compræhendit, dextrumque capitellum ferè totum iam abscissum vberi fortitèr adhærere.

Quartum. Alia eiusdem Principis Esquilacij Coniugis famula, dicta Francisca de Milai, sæuissimis paritèr angebatur laterum doloribus, inutilia fuere plurima, & maxima medicamenta, quibus morbi vim superare Medici præclarissimi contenderunt, tandem sopore correpta, & paulo post expergefacta Reliquiam Beati Francisci, sibi dandam postulauit, eo quod à Patre quodam Societatis, quam quiescens aspexerat, affirmatum sibi fuerit se illius patrocinio, doloribus, quos patiebatur, liberandam: statim præstò fuit, qui à Principe acceptam Reliquiam subministraret, & cum illa latus attingeret dolorum aculeis cruciatum, statim dolor, simul, & febris euanuit: Tum interrogata quinam fuerat ille Pater, quem vidisset in somnis, respondit, ignotum sibi penitùs illum esse, sed facilè cognoscendum, si Beati Francisci Imaginem conspexisset. Vix hanc sibi repræsentatam inspexit, protinùs dixit; Hic quidem ille ipse est, qui se mihi dormienti videndum dedit, mihique suasit, vt ad me è doloribus vindicandam eius Reliquiam postularem.

Quintum. Octennis puer ex eadem familia de Milan, nomine Christophorus, è tumore, quo dextrum genu magnum in modum intumuerat, eò periculi redactus erat ex omnium Medicorum sententia, vt, nisi eius dextrum totum abscinderetur, desperata penitus eius salus esset. Ad hæc eius mater mæstissima Beati Francisci patrocinium confidentèr exorans eiusdem Beati Imaginem puero tradit, qui ipsam cum lachrymis osculatur, & morboso genui superimponens, his verbis illam affatus est, ò Sancte Pater Francisce, fac, vt sanus euadam, & à tanto periculo liberer iam. Ad hęc illicò dolor acerbissimus, tumor ingens, & febris abscessit.

Sextum. Matriti triennis puer apud Franciscum Perez è domestica Schala delapsus, & toto impetu per viginti gradus vsque ad victum pręcipitèr deuolutus, immane vulnus, latoque hiatu dehiscens in capite passus fuerat. Hinc cranium illi fractum febris magna, largissima sanguis effusio, & totam faciem occupans fœdissimus tumor. Postera die periclitanti puero traditur imago Beati Francisci Borgiæ, vt eius opem piè reposcat, paret puer, capitique imagine imposita somno se dedit, vt primo mane se excitauit, aduocatis domesticis dixit se optimè habere, & ope B. Borgiæ sanitatem recepisse: Accedit Chirurgus, nullum in capite vulnus agnoscit cicatricem vidit obductam, conglutinatam pellem, nullam deformitatem in vultu, & omnem ardorem febris extinctum. Totum

hoc

hoc miraculosè patratum à Beato Borgia, totius rei narrationem scripta ipse confirmauit, cum ad eam tantum reficiendam pellem, quæ cranium contegit, iuxtà Chirurgiæ disciplinæ leges, triginta saltem dies necessariò exigantur.

Septimum. Appollonia Caballa Puella Romana, nunc in Monasterio Montis Thabor in Ereti Oppido, dicta Soror Deodata à Sanctissima Trinitate in sinistro latere herpetem patiebatur, visu horribilem, & naturæ viribus prorsùs insanabilem: Septennio enim cum totali cutis vitio substantiam in patiente deuorauerat, carnemque viuam erodebat omniaque validissima adhibita medicamenta eluserat. A Patre Nicolao Zucchio Societatis Iesu tradita illi fuit Imago Beati Francisci Borgiæ, vt pia erga cum fiducia illa desperato vlceri superponeret: Annuit illa, breui factum est, vt tota herpetis malignitate recedente pristinam salutem recuperauerit, nè læuissimo quidem in extima pelle obductæ cicatricis vestigio remanente.

Octauum. E grauissima febri acuta, & parothide ad dexteram capitis partem, conclamata iam omnibus erat in Vrbe Valentiæ Magdalena famula D. Iosephi Poli, iamquè sacris mysterijs Christiano Ritu munita extremam mortis horam expectabat, cùm ex insigni deuotione, qua Beatum Franciscum Borgiam prosecuta semper fuerat, eius reliquiam postulauit à Patre Augustino Palatio, qui non ita pridem extremam eius confessionem exceperat: Indulsit desperatæ fœminæ precibus P. Augustinus, eique optatam reliquiam porrigit, sibi illam ad Parothidem apponit ægrota & per breui temporis spatio sæuissimi dolores, quibus è parothide angebatur, abscedunt, cibum indè hilariter sumit, totam indè noctem quietè ducit, demùm summo mane cum tanta morbi diminutione à medico Vrbis Primario reperitur, vt ab omni prorsus mortis periculo libera diceretur, & triduò perfectæ incolumitati restituta omnibus se spectandam dederit, è Beati Francisci miraculo cunctis id factum affirmantibus.

Hæc sanctitatis, & Miraculorum fama, quibus Beati Francisci Borgiæ nomen non Hispaniæ soli, sed populis omnibus eius opem inocantibus elucebat, fuit in Causa, vt anno Domini. 1610. auctoritate Illustrissimi D. Decij Caraffæ in Aula Hispanica Pontificij Oratoris, & posteà S.R.E. Cardinalis, & Archiepiscopi Neapolitani, primum Matriti, Valentiæ, Barcinonæ, & Cesaraugustæ fierent processus informatiui de eius virtutibus, & miraculis. His Romam transmissis, Anno Domini 1615. accessere litteræ Philippi Tertij Regis Catholici per Excell. D. Franciscum de Castro Oratorem Hispanum, multorum Magnatum, Præsulum, Collegiorum, Vniuersitatum, & Regnorū totius Hispaniæ, & nomine Societatis Iesu preces P. Clau-

dij

dij Aquauiuæ Præpositi Generalis ad fel. rec. Paulum V. Pont. Max. quibus ipsum humillimè deprecabantur, vt ad Canonizationem Vener. Serui Dei Francisci Borgiæ ritè progredi posset. Annuit SS. Pontifex, & commissa causa DD. Cardd. Sac. Rituum Cong. Præpositis, tùm quatuor illos processus informatiuos factos in Hispania, tùm alium specialem factum Recineti à D. Card. de Aracœli Recinetensi Episcopo, ad eandem sac. Congregationem direxit vt re diligenter excussa referrent, an digna videretur causa, quoad specialem Inquisitionem procedendum foret. Quæ sac. Cong. habita 28. Augusti anni eiusdem 1615. annuente eodem Summo Pontifice, post accuratam omnium perquisitionem statuit, vt expediri tutò possent litteræ Remissoriales, & Compulsoriales ad formandos ritè processus in genere, & in specie de fama sanctitatis, & miraculorum Serui Dei Francisci Borgiæ, placitum Sac. Cong. referente D. Card. Gallo eiusdem sac. Cong. Præfecto approbatum ab eodem Summo Pontifice fuit; & insuper mandatum, vt tribus Romanæ Rotæ Auditoribus, scilicet R. D. Ioan. Baptistæ Coccino, Francisco Sacrato Archiepiscopo Damasceno, & posteà S. R. E. Card. & Alphonso Manzanedo, vt authoritate Apostolica processus ea de causa in genere formarent, & litteras posteà Remissoriales in Hispaniam relaxarent ad formandos processus in specie. Adhoc exequendum relaxatæ fuerunt huiusmodi litteræ Matritum ad D. Cardinalem de Sandoual Archiepiscopum Toletanum, & Valentiam ad D. Isidorum de Aliaga Archiepiscopum Valentinum. His peractis, & formatis ab ijsdem supradictis Rotæ Auditoribus hic Romæ processibus in genere & transmissis ex Hispania ad Vrbem processibus Remissorialibus, & Compulsorialibus, post exactam eorum recognitionem, & discussionem factam in pluribus Congregationibus ab eisdem Rotæ Auditoribus, eorum validitate approbata, tandem anno Domini 1623. scripto suffragio decreuerunt, vt ad Canonizationem Serui Dei Francisci Borgiæ tutò procedi posset, rerumque omnium hac in causa peractarum narrationem scribendam D. Alphonso Manzanedo tradiderunt. Hanc narrationem voce primò habitam, & posteà scriptis eam traditam fel. rec. Vrbano VIII. die 6. Augusti eiusdem anni 1623. (Paulus enim V. & Gregorius XV. iã obierant) idem Vrbanus VIII. ad Sac. Cong. Rituum de more transmisit, vt illum iterum examinarent, & diligentissimè perquirerent. Adhoc præstandum electus ab eadem sacra Congregatione fuit D. Cardin. Boncompagnus, posteà Archiepiscopus Neapolitanus. Causam totam per plures sessiones accuratè, & exactè hic examinauit, & tandem, cum coram sac. Cong. habita die 31. Aug. 1624. de validitate eorum processuum, de sanctitate vitæ, dequè miraculis Ven. Serui

Dei

Dei Francisci relationem habuisset, & sufficienter de his omnibus constare pronunciasset, eadem sacra Congregatio censuit causam Serui Dei Francisci Borgiæ in tali statu esse habendam, vt tàm ad Beatificationem, quam ad solemnem eius Canonizationem quandocumquè deueniri posset, & interim, si Sanctissimo placuerit, censuit posse concedi, vt de prædicto Seruo Dei Francisco ab omnibus Religiosis Societatis Iesu vbiquè existentibus, nec nòn in Ditionibus Familiæ Borgiæ ab omnibus Sacerdotibus, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus Kalen. Octobris, ipsa nempe obitus die, Missa celebrari, & Officium de Comm. Conf. non Pontif. recitari posset; Hanc sac. Cong. sententiam, referente D. Cardinali de Mõte sacri Collegij Decano, eiusdemque Congregationis Præfecto approbauit SS. DD. Vrbanus VIII. ac proinde die 23. Nouembris eiusdem anni idem Summus Pontifex de eorundem Cardinalium consilio, enixè supplicantibus Philippo Tertio Hispaniarum Rege Catholico, & Gaspare Card. Borgia, & nomine Societatis Iesu Mutio Vitellesco eiusdem Præposito Generali per litteras in forma Breuis licentiam, & potestatem concessit, vt Seruus Dei Franciscus Borgia, donec ad illius Cànonizationem deueniretur, Beatus nuncupari ab omnibus posset, & Kalend. Octob. ab omnibus Sacerdotibus Societatis Iesu vbique existentibus, & in Ditionibus Dominorum de Borgia ab omnibus Sacerdotibus, tàm Regularibus, quã Sæcularibus, de ipso officium, & Missa de Communi Confess. non Pont. celebrari posset, quod indultum postea ad preces eiusdem Card. Borgiæ, & Mutij Vitelleschi Præpositi Generalis Societatis Iesu, idem Summus Pontifex litteris datis 11. Septembris anni sequentis 1625. extendit, & ampliauit ad omnes Præsbyteros Regulares, & Sæculares cuiusuis Ordinis, & Instituti in Ecclesijs, & domibus eiusdem Societatis Iesu.

Deinde emanauit decretum tuto posse deueniri ad illius solemnem Canonizationem pro qua consequenda enixè instant Imperator, & Rex Catholicus.